

CCLII.

Anno 1751. die 2. Aprilis. Illokini.

Motiva et reflectiones, ex quibus inferiorum Regni Comitatum Ablegati, in hocce I. D. Statuum et Ordinum Congressu praesentes, ultra tres hactenus ablegari solitos, alios adhuc tres, et quidem ex ipsis inferioribus Comitatibus, e singulo videlicet unum Nuntium, in qualitate Regni Slavoniae Ablegatorum ad imminens et subsequens continuas Regni Hungariae Diaetas exmitti humillime postulant.

1. Immortali omnino memoria digna est Excellentissimi et Illustrissimi Domini Domini Comitatus Actualis Bani et Pro-Regis gloriosissimi Inclytorumque Statuum et Ordinum opera paternaque sollicitudo, qua mediante longiori Annorum serie, sub gubernio Complurium antehac Banorum, desideratam inferiorem Incliti huius Regni Slavoniae Partem incorporari et in tres Decretales Comitatus subdividi procurarunt. Et sicut exantlata Eorundem Inclytorum Statuum eatenus salutaria Studia et impensa multifaria fatigia non modo possessionati ibidem Domini Terrestres, verum et ipsa rudis Contribuens plebs, tanquam gubernio moderno longe magis ac antehac Contenta, venerabunde agnoscit, ita Comitatus praefati ab immediata Banali Dominorumque Statuum Jurisdictione semet nusquam eximere aut separare desiderant, verum potius tanquam neo-partos conservari et manuteneri supplicant, atque hinc

2. Constat II. DD. Statibus et Ordinibus ex ipsa benigna resolutione Regia, partem illam inferiorem Regni, salvo ad Cassam bellicam per prius dependi solito debito Contributionali Quanto, aliisque fundationibus, Contributionalem respicientibus, oneribus ultro permanentibus, et non secus incorporatam, Comitatusque illos in hac eadem Contributionali Materiali Exc. Consilio Regio Locumtenentiali subordinatos extitisse, persistere etiam modo; sed et recordari dignentur Domini Status, quod in Materiae Contributionalis pertractionem occasione ea, dum de incorporatione agebatur, Deputatosque suos instruxerunt, sese non immiserint, quin potius pro parte Superiorum trium Inclytorum Comitatum specialiter praecautum reddiderint, ne onus illud Contributionale in has partes quoque modo derivetur et cum Impositione Superiorum trium Comitatum quocunque tandem modo in Communionem abeat: Quibus sic stantibus

3. Extra quaestionem est, tam occasione imminentium, quam futurorum Regni Hungariae Comitiorum, in Materia signanter Contributionali, sive Active sive